Pars prior sive origines.

Caput I.

De formis Futuri et Coniunctivi.

Formae Coniunctivi et Futuri quae similes sint quae non sint, iam veteres sapienter nominibus ipsis indicarunt. Activae et mediae formae Futurum I. enim ad Aoristi I. Coni. pertinet propter penultimam vel antepenultimam quae variis modis produci solet et quod sigmatismus utrique formae communis est. Sequuntur Futurum II. et Aoristi II. Coni. activae et mediae formae, quae brevi penultima vel antepenultima syllaba instructa et apud Atticos et apud Iones vocalium intentione similia sunt, sigmatismo carent. Huc etiam attica Futura referenda (Buttm. Gr. § 95 p. 408 nota). Denique Futurum quod vocatur Doricum et sigma et vocales auctas habens non potest quin cum eodem Aor. I. Coni. conferatur qui et sigma et vocales amplificatas recipit. Primum igitur apparet activum vel medium non esse ullum Futurum cuius coniunctiva non reperiatur plus minusve similis forma, tum et Coniunctivorum et Futurorum activorum mediorumque origines repetendas esse a duobus*) principiis, quae

*) Neque enim probari potest sententia eorum qui omnes Futurorum formas ab una eademque terminatione εσω εσεις ct. ductas esse contendunt: cuius iudicii patronum afferam Lobeckium Paralip. gr. gr. pag. 435 n. 57. Huic Futura λεγέσω ῥεπέσω similia nunquam fuisse graeca contendenti quis obloquatur? Aliud etiam quod ex illorum doctrina consequitur vereor ne stare vix possit: expulso sigma Ionicas formas εω εεις ct. natas, ex his ipsis iterum immutatis (attica) Futura secunda per contractionem facta esse. Qua in re primum id miror, quonam iure ionicae gentis formae tempore priores fuisse et primitivae esse credantur. Praeterea multa restant quae ad illorum regulam nequaquam satis possunt expendi. Qua tandem contractione fieri potest ut ex κομίσομεν gignatur κομιοῦμεν? porro illa lege qui utitur qua ratione naturam Futuri πεσοῦμαι eorumque omnium quae dorica vocantur perspiciat? Contractiones alias plane miras v. apud Buttm. § 95 Anm. 16. not. c. Denique ipsa illa lex, quam idem Futuris secundis (atticis) scribit § 95, 8, quae tres pluresve syllabas brevemque penultimam (potissimum α et ι) habeant, ea contrahi solita esse, egregie docere videtur, non contractionem sed aliam eius conformationis causam fuisse. Trisyllaba enim illa Futura a Verbis

sunt: sigmatismus et intentio vocalium. Hae duae res sic temperantur ut semper et similitudo sit Coniunctivi et Futuri imo primae personae σω εω eaedem sint et, — si has personas exceperis — aliqua obtineat differentia quae maxima est in Futuris secundis accentu insuper in terminatione posito. Conformatio Futuri autem a cognato Coniunctivo consonanti litera nulla distat sed solum vocalibus, quas breves Futurum et acriores, Coniunctivus longas et obtusiores habere solet.

Verum cum vetustatis memoriam diligentius repetiveris earumque de quibus est quaestio formarum origines secutus eris, differentiam minui, augeri similitudinem intelliges. Nam ubi ab Attica aetate ad Homericam receditur formae quaedam reperiuntur coniunctiva *) vi instructae iusto autem signo

---

in αζω ιζω αω εω terminatis ducuntur, quae omnia non primitiva sed ex brevioribus formis per amplificationem nata esse constat. Propter syllabarum numerum eximuntur bisyllaba ut ξέω, cuiusmodi verba breviorem et simpliciorem formam vix unquam habuisse videri possunt. — Futura illa potius simplicioris formae memoriam redintegrare vel, ut enucleatius dicam, tunc ficta esse dicenda sunt, cum praesenti nondum terminationibus quas dixi aucto utebantur. Terminatio pronunciando intenta (ῶ εῖς s. ῶ ῖς) profecto non minus propria Futuri habenda quam sigma. Quid enim? Veteres vel utrumque eidem Futuro adhibere i. e. Futura dorica formare non dubitarunt. Denique cum vocalium intentionem in aliis dialectis aliam usurpari consentaneum sit, non mirabimur suam quasque normam gentes Graecas secutas esse. Sequitur etiam ut attici et secundi Futuri discrimina non tam in Futuris quam in priscis Praesentibus inesse videantur Buttm. §. 95 A. 18. In tota autem hac grammaticorum nostrorum reprehensione haud parum videor confirmari eiusdem Lobeckii l. c. p. 435 sententia, quae nisi fallor id ipsum habet quod volo. „Quum sermo priscus, ait, verbis ad declinandum parum habilibus abundaret — — βάλω — — ἄδω — duplex patebat exitus, ut aut intus augerentur — βάλλω — — aut extrorsum crescerent paragogis variis — — ἀνδάνω — — quorum futura instaurant praesentis formam thematicae proximam." — Si Buttmannus ea quae de forma καλῶ § 110 Anm. 1 disputat amplius persecutus esset ne ipse quidem potuisset quin verum vidisset. Cf. Matthiae Gr. § 173—175. 181, 2 praesertim not. u. ad § 173 p. 394.

*) Comparatio enim vel alia locutio qua aliquid factum esse s. fieri sumitur eaque sumtio Verbo enunciatur (cf. Herm. dissert. sec. de legg. quib. subtil. serm. Hom. p. IV. Nitzsch ad ε 249 = tom II. p. 36; ad δ 148 = tom II. p. 184 Interprr. ad Α 80.) et hortatio (ἄγε seq. Coniunctivo Α. 141) notionem coniunctivam requirunt. Nam formae coniunctivae num Homero ubi per metrum liceat restitui debeant (quod facere solent VV. DD.) propterea dubitari potest, quod etiamsi hoc fiat formae correptae quae a Futuris non differunt tamen tolli nequeunt omnes. V. Matth. § 201, 9. Buttm. § 88, A. 3.

productarum vocalium et obtusarum adeo privatae ut a Futuris quibusdam affinibus nihil differant, corruptae vero nequeant esse propter metrum. Sic Coniunctivus λέξεται Δ, 131 similesque formae in Futura I, Coniunctivus ἴομεν B 440 et similes in ea Futura quadrant, quorum paucas tantum reliquias posterior usus admisit ut ἔδομαι v. Buttm. § 95 A. 21. Sermoni cultiori enim nec illa convenit licentia qua Futuro certa quidem quae a Praesente differat forma suppetere videtur miscetur tamen cum Coniunctivo: nec haec permagna loquendi infantia quae Praesens indicativum quasi instar omnium formarum etiam pro Futuro atque Coniunctivo habet. *) Utriusque generis Coniunctivi forma vetustatis notam habere videatur propterea quoque necesse est, quod postea tantum non plane evanuit. Quo antiquiorem igitur in sermonis graeci aetatem inquirimus, eo magis convenire intelligimus conformationis leges secundum quas Coniunctivi Futuraque proceduntur. In Passivo autem quod Futurum plane differt a Coniunctivo id explicari nequit nisi ex historia Verbi quae Passivum natu recentius esse docebit Activo et Medio (cf. Humboldt Kawispr. t. II, p. 81. Ex passivis formis nonnullae (Aor. II.) ita sunt compositae ut ad Verbi substant. (εἰμί) recentiorem declinationem spectent): ita enim fieri poterat ut Futuri et Coniunctivi coniunctio perantiqua iam paene soluta esset ante quam Passivum repertum vel certe propriis Temporibus et Modis instructum et usitatum esset.

Attamen pronunciatio — dixerit aliquis — quid si eiusmodi fuit ut in priscorum hominum sermonibus Coni. a Futuris differrent, poetis vero solis aetas simplicissima concessit ut usu quotidiano neglecto longas et obtusas vocales corriperent? Buttm. § 88 A 3. Si de florente rerum Graecarum aetate et posterioribus temporibus quaestio esset quem ad modum tunc lingua graeca pronunciaretur, locupletissima adeunda forent grammaticorum testimonia multaque alia, ex quibus efficeretur vocalium η et ει, ω et ο, ου et ω pronunciationes satis fuisse distinctas neque subscripti iota sonum plane obliteratum **),

*) F. A. Wolfius: *Von der Gegenwart gingen alle Sprachen aus und diese ist der Stamm der Wörter.* Schmidt doctrina temporum I. pag. 3 n. *). Cf. *Reimnitz, Leitfaden der deutschen Gramm. u. Litt. p.* 59 *Note.*

**) Quod vere contendit Buttmannus § 5, A 2. Nam et rei ipsius natura admonet ut ne idem sonuisse exempli causa φήμῃ et φήμη putemus (nisi recentiore tempore) et iota tunc non subscribi sed iustae literae similius in linea pingi solitum esse constat. In partitione illa

itacismum autem dum Graecia vigeret dialectis contentum sensim postea crevisse donec totam linguam (hodiernam) occuparet V. Matth. § 3, b. Nunc autem cum antiquissima graece loquentium pronunciatio investiganda sit non puto alia signa reperiri et indicia nisi quae depromantur ex literis priscis. Qua in re primum Graecos antiquissimos maiusculis scripsisse iota subscriptum non novisse constat; deinde sedecim tantum illa *γράμματα Καδμήϊα* habuisse, postea vocales H Ω consonantes Z Ξ et Φ X Θ addidisse *) non solum traditum sed etiam inscriptionibus satis confirmatum habemus (Matth. § 1 A 3 = pag. 24 et A 1 pag. 22 sq.). Etsi vero H et Ω deerant, poterant hi soni per $\overline{E}$ s. EE illi per O (maius) s. OO exprimi et revera ad hunc modum exarati exstant (cf. ibid. p. 23). Illa vero magnitudinis inter *o* et O differentia**) nec semper observabatur nec non obscura erat inter literas maiusculas quibus utebantur. Item E longum non semper certa nota insignitum reperitur. Graeci igitur cum ne eo quidem tempore, cuius monumenta servata sunt, literis E et O pro sonis brevibus longisque uti dubitarent, haec simplicissima scribendi consuetudo priscis

---

diphthongorum (Matth. § 4 p. 38 not. p.) soni *ᾳ ῃ ῳ* in quibus altera vocalis potior esse — *ἐπικρατεῖν* — dicitur, plane mutam alteram habeant non necesse est ut *ei* differt ab *eej*. Illa igitur divisio *κατ' ἐπικράτειαν, κατὰ διέξοδον, κατὰ κρᾶσιν* etiam tum vera erit, cum eo tempore inventa esse creditur, quo vigens Graecia diphthongos non confundebat ant excogitata ab homine aliquo, qui differre putabat. Interpretationem autem quam grammaticus sero addidit sui temporis pronunciationi accommodasse videri potest.

*) Et Iones quidem priores *addiderunt* Atticis. Neque enim probabile, Iones simulatque scribere coeperint habuisse signa illa quae ab ipsis nomen acceperunt: quorum inventio multum scribendi usum priorem habuerit oportet, quod non primitiva signa sunt, sed ab usu proprio traiata ad alium. (*H* spirit. asper. *Ω* = $\widehat{OO}$ = *ΩΩ* = *OO*. Sibilae et spirantes omnino ex Phoenicum ore traduci ad Graecos non poterant nisi per machinam difficiliorem V. Buttm. tom. II. p. 376 sq.). — Attici autem etsi XXIV literis publice non ante Ol. 94, 2 = 403 a. Chr. usi sint, *diu* tamen privatim ante An. 403 usos esse res ipsa docet. Privati enim et facilius a more maiorum declinant eaque quae scite novata sunt promptius assumunt quam publici magistratus antiquorum morum tenaciores: qui tunc demum cum diu privatus usus invaluit in publicum quoque commodum vertunt. Eadem de causa minusculae scripturae multum ante fuisse usum convenit quam ex monumentis nobis videre licet. Omnino Graeci prius scripserunt privatim quam publice. Nitzsch Melett. I. p. 35. 72.

**) Mazochi ad tab. Heracl. p. 124 sq. Mutatione sensim in maius facta differentia inter o minus et O maius nata est.

Graecis necesse est unice convenerit. Nam ne ista quidem signa (Ē et EE, O et OO) antiquissimis hominibus tribuenda sunt siquidem non sine usu nec nullo tempore interiecto fieri solet ut aliqua scribendi ars perfectior exsistat. Denique pro OΥ prisci O posuisse videri debent (Matth. p. 28 n. c. Buttm. § 5 A 8). Qui haec consideraverit et scripturae historiam omnino sic procedere reputaverit ut a rudioribus initiis exorsi artem scribendi sensim excolerent, haud temere nos arguet coniicere terminationes Coniunctivi et Futuri ab antiquissimis Graecis ita calamo exaratas esse, ut nulla prorsus differentia oculis reperiretur, posteriores antiquam scribendi ambiguitatem exuentes id denique assecutos esse, ut quae antea eadem essent postea facile omnes dignoscerent. Antiquissimos Graecos igitur scripsisse conveniat hoc modo:

Prisca scriptura		Posterioris aetatis scriptura *Coni.*		*Futur.*	
ΤΥΠΣΟ	= = =	ΤΥΨΩ	....	eadem forma	
ΤΥΠΣΕΙΣ	dubium utrum	ΤΥΨΗΙΣ	an	ΤΥΨΕΙΣ	sit.
ΤΥΠΣΕΙ	„ „	ΤΥΨΗΙ	„	ΤΥΨΕΙ	„
ΤΥΠΣΕΤΟΝ	„ „	ΤΥΨΗΤΟΝ	„	ΤΥΨΕΤΟΝ	„
ΤΥΠΣΟΜΕΝ	„ „	ΤΥΨΩΜΕΝ	„	ΤΥΨΟΜΕΝ	„
ΤΥΠΣΕΤΕ	„ „	ΤΥΨΗΤΕ	„	ΤΥΨΕΤΕ	„
ΤΥΠΣΟΣΙ	„ „	ΤΥΨΩΣΙ	„	ΤΥΨΟΥΣΙ	„

Item ab Aoristis secundis Futura secunda scriptura non differebant. In universum autem tantum intellexisse sufficiat scripturae historiam eam esse ut quo altius origines repetiveris eo planius evanescant Coniunctivi et Futuri termitionum calamo exaratarum discrimina. Cavendum autem ne tantum scripturae tribuamus ut quamdiu illae formae in pellibus vel chartis pictae non differrent, tamdiu putemus easdem visas esse loquentibus. Coniunctivi enim et Futuri coniunctio quum ad antiquissima tempora pertineat (quibus num litterarum et scripturae usus fuerit valde dubitari potest) eaque coniunctio prior putanda sit Homero qui a Futuro quid differat Modus probe scire solet, nisi quod nonnunquam quasdam admittit locutiones* quae parietinarum instar vetustatis memo-

*) Nam in tanta carminum pangendorum facilitate quis acquiescat in metrica quadam necessitate, cui Romanos poetas multa largitos esse scimus? In Homeri carminibus autem

ciam redintegrant, hoc tantum ostendisse videmur, a pronunciatione, quae in scriptura cernatur, rationem qua formae illae antiquitus discrepuisse demonstrentur non solum non licere depromere sed ipsam scripturae historiam ad pristinam Futuri et Coniunctivi similitudinem magis quam diversitatem facere.

Scripta autem quae Homericis carminibus antiquiora sint testimonia quum non exstent, vera ratione explicandi eos usos esse arbitror, qui divinando et coniiciendo similitudinis illius causam reperire studuerunt. Hermannus igitur in opusc. t. IV p. 79 „Qui modus (Coni.)," ait, „etsi apud antiquissimos ita pro futuro usurpatus est ut si quis verbi Graeci naturam accuratius consideret dubitare non possit quin prior futuro exstiterit idque ex ipso demum originem traxerit tamen natura sua valde a futuro diversus est cet." Buttm. in grammatica media ed. XIVa anni 1833 pag. 398 not. asterisco instructa: „*Ich fasse bei dieser Gelegenheit Hermann's scharfsinnigen Gedanken auf, dass das Futur in dem griech. Verbo vielmehr vom Aorist komme als umgekehrt* cet." Quod hi Futuro priorem natum esse Coniunct. dixerunt, id invertit Hartungus contrariumque e Futuro Coniunctivum factum esse contendit Partic. t. I. p. 14 sq. Hartungo tacite assentiuntur permulti alii, qui quod pueri didicerunt tenent a Futuro Aoristum duci. — Verum utrosque (quamquam diversa contendere videntur) de significatione illius sive Coniunctivi sive Futuri consentire dices si diligentius reputaveris. Nam qui Futurum Coniunctivo prius factum esse dicunt ii Tempus simul Modi vices suscepisse concedant necesse est: contra qui Coniunctivum priorem esse autumant simul pro Futuro fuisse putent haud sane minus necesse est. Nam quamvis alterius utrius Formae defectum quondam fuisse facile largiamur, id hercle nunquam largiendum est, reperto semel Coniunctivo non fuisse formam qua res futuras eloquerentur, vel reperto semel Futuro nondum simul habuisse homines formam qua exspectationem animi et sumtionem enunciarent. Revera igitur non dissentiunt nisi de forma, quam alteri indicativam dixisse videntur alteri coniunctivam, nisi forte de forma nihil praecipere voluerunt.

---

formulas alias ab antiquioribus inventas posteris acceptas et servatas esse probabile est (comparationes) alias perantiquas esse res ipsa docet, *καί ποτέ τις εἴπησι, πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω*, quas iam primi quique et antiquissimi narratores usurpare potuerunt. Haec omnia religiose tenuit Homerus a novandi prurigine alienissimus.

Formam autem alterutram priorem exstitisse considerate tum demum videbuntur affirmare, cum formam antiquissimam aut breves demonstrabunt et acres aut longas obtusasque vocales habuisse: hoc vero difficillimum esse demonstratu omnes intelligunt. Quamquam Futuri secundi accentus qui in terminatione ponitur acutissimus ita differre videri potest a Verbi consuetudine ut communis et natu maior forma fuerit coniunctiva, abs qua Futurum secundum differentiae causa ductum sit. Itaque si quis cum Hermanno formam coniunctivam Futuro priorem fuisse contendat mihi quidem magis probabitur quam qui cum Hartungo faciat: ille enim a verbis non paucis, quae Futurum secundum habent, aliquam non dico probationem sed probationis speciem depromet, hic quid sit allaturus quod rationi simile videri possit, fateor me nescire. At haec missa faciam. Forma illa autem, quae Coniunctivum et Futurum quondam una complexa, postea variata et ambiguae terminationis facta, denique post diuturnam fluctuationem in duas formas intellectu diversas discreta est, cautius Futurum coniunctivum sive Coniunctivus Futuri potestate vocabitur, ne cum nomine certa et ipsa mensura vocalium certusque accentus obtrudi videatur.

Caput II.

De indole et natura Modorum et Temporum.

Cum rem verbis enunciamus aut id agimus ut quae ipsi sentimus eadem alii quoque sentiant aut ut velint alii quae nos volumus. Omnem enim orationem ad alios pertinere nec non eam qua soli nobiscum loquentes utimur meram colloquii esse imitationem facile perspicuum esse arbitror. Homines autem quamquam simplicissimi sicuti habeant necesse est duo illa quae cum aliis communicent, ita duo dicendi genera diversa non possunt non concedi si non antiquissimae*) tamen rudi admodum et incultae aetati, indicativum et imperati-

*) Divinationi enim si quid dandum est antiquiora etiam et rudiora tempora cogitari possunt (*Tiburtius üb. d. Conjunctiv.* p. 17), imo forma indicativa prior fuisse et posteriorem peperisse videri potest imperativam cuius munere antea illa fungebatur. Siculi enim in historia ita in linguis quoque nihil reperimus quo aliquid non fuerit prius. Humboldt Kawispr. I, p. 33. 42.

vum:*) utrumque genus recte dici potest absolutum quod non pendet ab hominis cogitatione. Antiquissimo enim tempore cum demonstrativis (relativis nondum repertis) solum pronominibus uterentur orationis membra non subnectebant sed alia aliis adserebant (parataxis). Imperativi secundae personae ne inventis quidem relativis subiunctionem perpessae sunt.**) — Indicativum autem et imperativum genus dicendi praeterquam quod dictioni minime copiosae et a longiore verborum continuatione remotae unice convenit, aliud quoque est illis generibus commune quod vel maxime quadrat in rudia et parum humana hominum ingenia.

Inter omnia enim quibus humana natura brutis animalibus praestat hoc excellentissimum est quod quae cogitantur a rebus dignoscuntur. Id ipsum vero simulatque humiliorem et a naturali praestantia abactam hominis indolem mente informaveris vel potius finxeris talem quae nondum omnem humanitatem adepta sit, id ipsum, inquam, nondum natum esse sed somno quodam infantiae quasi sopitum reperies: qualis quamdiu fuit generis humani conditio, inclinatis Modis nondum utebantur sed solum indicativo et imperativo genere dicendi. Sive enim animi sensa enunciabant sive res gestas narrabant simplicissime solum indicabant et in indicativa oratione acquiescentes rerum veritati sua sensa non opponebant sed ceterorum animalium similiores ipsi quasi pars

*) cf. Graseri obss. de Modis Verborum in Actt. Soc. Gr. II, 2 p. 388 sqq. Quae hic vir egregius acute disputavit iis meam quam dixi de Indicativo et Imperativo sententiam nec non alia ex meis confirmari eo magis iuvat, quod post scriptam demum meam dissertationem esse libellum Graseri meamque ad rem pertinere comperi.

**) Non assentior Hartungo Partikeln II, 144 qui genera dicendi confundit. Neque tamen eos probo qui eiusmodi locutiones qualis est *οἶσθ' ὃ δρᾶσον* transponendo *δρᾶσον! οἶσθ' ὅ;* explicant, qui cogitationis quae eis verbis continetur progressum sine ulla causa invertunt. Proprie dicendum fuit: *οἶσθ' ὃ δράσεις; τοῦτο δὲ δρᾶσον!* et duae hae sententiae non eodem tempore sed posterior tunc demum dici debuit cum alter dixisset quid esset id quod alterum facere vellet. Haec igitur est vehemens quaedam festinatio et mentis alacritas qua id quod iussurus est aliquis iam perfectum in animo habet et quaestioni confestim iussum subiungit. Praeposteras eiusmodi iussiones et adhortationes magna cum alacritate elatas apud Platonem legere memini. — Sed tertiarum imperativi personarum et usus minus necessarius priscae aetati atque subtilior et vero etiam conformatio alia est. Ita fit ut hae personae (quae significatione facile accedunt aliis ut: fieri licet potest oportet) syntaxin ferant. Kühner Gr. § 370 A 2. At etiam hoc a prisco aevo alienum, quod non erant pronomina nisi demonstrativa.

rerum naturae erant. Imperativo enim tantum abest ut cogitatio loquentis rebus opponatur ut mera sit nominatio eius rei quae cupitur: neque alia de causa fieri potest ut Infinitivo iubeatur atque ideo quod satis est in imperando rem nominasse. Imperativus nihil est nisi *Indicativi* forma acrior et efficacior,*) aut, quod fit in iubendi vehementia, in brevius decurtata, Interiectionis instar (τύπε),**) aut terminationibus personalibus aucta. Personae enim (Tu! Is! Ille!)

---

*) Antiquissimus scilicet Imperativus, tali forma instructus qualem repraesentat Aoristi 2 Imper. (ad cuius similitudinem Praesentia recentiora accedunt). Nam Aoristi 1 Imp. natu minor putandus est, quippe cuius praesertim prima persona non est eodem iure quo Praesentis, ut post μή in vetando. Nam formis sero inventis accidit ut saepe multa munera iam ab aliis formis occupata offendant atque ipsae excludantur: nam haec res ratione quidem et causis obscura, usu perquam manifesta, suam quandam in Verbi graeci historia originem habeat necesse est. — Contra praesentis Temporis Imperativus antiquissimus (i. e. Aor. 2) auctae Praesentis formae propter maiorem soni vim in iubendo maxime expetitam cessisse videri potest. De hoc usu cf. Ellendt Lex. Soph. II p. 79. Vide tamen (ne de antiquo tempore dubites) μή - ἔνθεο Δ 410. ω 248 (Matth. Gr. § 511, 3).

**) Graserus l. l. p. 390 „Simplicissimam" dicit „verbi formam fuisse antiquitus Imperativam et fortasse primam, sed eam talem, quam vix ad declinationem sive coniugationem verbi referre liceat, utpote particulae similiorem quam verbo, denique Interiectionem quandam, qua exclamaretur quod quis fieri ab altero vellet. Tales maxime apparent linguae germanicae imperativi *komm*, *halt*, kip = *gieb*, tum antiquiores illi latini *dic*, *duc*, *fac*, fer, quibus quodam modo accenseri posse dixeris graecos κατάβα παράστα; in quibus ipsum simpliciter thema verbi nulla flexione adhibita gravius pronuntiatum est: sed uti in nostra lingua, ita in graeca et latina iuvandae pronuntiationis causa levissimus sonus e adhibitus est, qui nullam praeterea vim habuisse videtur, ἄγε, φέρε, *lege*; in aliis etiam aucta vis est suffixa themati particula locum monstrante φάθι, *sag da*, *sag her*, τέθναθι, *stirb hin*. Sed ut Modus inde iustus exsisteret quique declinabilis esset, demum post inventum Indicativum factum videtur: nam ex hoc petita omnino est, a qua coeptus est declinari Imperativus, secunda persona pluralis φάτε (et dualis φάτον); tum vero reliquae formae omnino producendis ortae videntur Indicativi formis pro levioribus vocalibus graviore ω recepta cet." Quod secunda persona literam e assumsit ideo potius videtur factum esse quod etiam Imperativum ad Indicativi normam bisyllabum esse volebant et terminatione quasi declinabili instructum: secunda person. sing. ita rectius non disiungitur ab eadem persona plural. Etiamsi Grasero concedas omnes secundas pers. sing. Imperat. quondam fuisse monosyllabas, hae formae (si quidem dignae sunt quae formae vocentur) ad eam aetatem pertinebunt, quae declinationem non habebat, Verba et Nomina non discernebat, denique radices verborum non verba usurpabat. Nulla igitur est causa ut radicem imperative positam Imperativum vocemus, quamvis

quae aliquid facere iubentur potissimum efferuntur multoque magis quam in narrando. (Te iubeo ire — dixi eum ivisse.) Obliqui Modi autem signa (vocales productae) desunt. Cf. Bopp krit. Gr. d. Sanskrit. 1834, § 274. Ipsa quoque Indicativi natura adeo simplex et quasi nuda est ut a recondita illa rerum et cogitatorum differentia prorsus abhorreat.*) — Indicativus igitur cum ad ea quae sunt in humana natura humanissima (obiectivitatis et subiectivitatis discrimina) non spectet sed indifferens et indigestus sit neque praestet nominibus quae sive

diutius manserit ista simplicitas in imperando quam in narrando et indicando. Imo radicem pro Imperativo positam rectius cum eo genere iubendi comparatur, quod solum rei nomen effert Infinitivo vel Nomine quod proprie vocatur (ut ad nostros milites: *Feuer!*). Imperantes autem ubi personas numerosque dispescebant propria Imperativi forma nondum reperta Indicativo uti poterant id quod nos saepe facimus.

*) cf. Matthiae Gr. § 519. Kühner Gr. § 449, 2, a. Herling Temp. u. Mod., pag. 35. Graser l. l. pag. 385 Plurimi VV. DD. Indicativum *obiectivum* Modum esse dicunt, etsi non omnes eodem hoc nomine utuntur. Quibus cur non accedam breviter dicam. Qui obiective loqui didicit, alterum etiam sciat necesse est: subiective loqui i. e. Modis inclinatis uti. Quicunque igitur obiectivum Modum Indicativum novit non potest non novisse Modum, quem sermo suppeditat, subiectivum: quod refellitur sermone puellarum puerulorumque, qui solet indicativus aut imperativus esse neque vero modoiis. Refellitur etiam aliarum linguarum comparatione. Anglos quis non videt post aliquot saecula obliquo Modo omni carituros esse? Tum igitur qui remansurus est indicativus dicendus erit obiectivus? Mirus sane populus qui obiectivam cogitandi rationem — quae cordatis hominibus difficillima videri solet — unice excoluit! Talia si contendis, quaesiverim utrum qui obiectivo Modo sua sensa eloquuntur (quod apud nos saepissime fit) sentiant se obiectivo Modo uti an non sentiant. Sentiunt, respondes? Sentiunt igitur verba sua cum re pugnare i. e. se perperam loqui. At cur falsam suam non emendant orationem subiectiva obiective enunciantes? Fatendumne, illos homines non sentire se Indicativo usos obiective loqui? Non sentiunt, iam clamas. Quid? Tu igitur in aliorum, quos loquentes audis, infers aliquid (obiectivitatem) cuius ipsi ne sensum quidem habent? Pessima sane et audiendi et interpretandi ratio! Arduum profecto est hominibus obiectivitatis cogitare notionem, quippe quam nemo novit nisi novit etiam se ipse: ut Passivum non sine difficultate reperiri potuit propterea quod homines non a rebus sed a se ordiri solent. Pergravis etiam in adversarios reprehensio ab ipsa ratione petenda est. Nam cum in loquendo semper adsit mentis cogitatio, partitio Modorum non potest quin ab ipso animo depromatur. Cogitant autem homines aut suae cogitationis conscii aut inscii. Igitur aut ponuntur cogitationis signa (vocales productae, Mod. obliq.) aut non ponuntur (Indicat.). Illi autem VV. DD. res externas in Modorum distributionem inferunt quasi una partitio duo fundamenta habere possit.

rem sive cogitationem solam significantia eandem formam servant, idoneus tabulae albatae instar visus est ut alia in se reciperet obeunda munera — Tempora dico, quae non simul omnia nata esse sed primum Praesens fuisse tum Praeteritum deinde Futurum naturae videtur consentaneum esse. Rudis autem huius Modi et parum definita indoles quatenus oppositis Modis obliquis aliaque ratione in melius mutetur postea videndum erit.

Illam autem, qua sola prisci utebantur, formam indicativam mox ita fluctuasse putabimus ut certa norma non teneretur. Nam in magna loquendi licentia et inconstantia varias animi affectiones formam etiam variasse consentaneum est. Tamen non plures erant formae sed uni eidemque variae subeundae erant vicissitudines: quas duas res non debere confundi omnes intelligunt. Ex hac autem unius indicativae formae fluctuatione et mutatione postea nati sunt Modi qui inclinati vocantur.*) Modos autem cum invenerunt Graeci ostenderunt iam se quae cogitata essent iis certam tribuisse formam quae longis vocalibus deliberantem et cogitantem animum imitaretur**) et differret ab Indicativo. Iam affectiones animi hortantium optantium cet. certa forma dignoscebant ab ea hominis conditione, qua sine ulla animi affectione quae illis Modis effertur narratur id quod res est. Homines profecto tunc demum ad aliquam sui cognitionem accessisse idque sensisse videntur aliquid esse in se divini, quod nec animalia haberent nec res. Iam vero etiam qua de causa Modi inclinati ex aliis verbis pendere possint facile puto intellecturum esse eum, qui cogitationem hanc reputet vim habere ut res quasi suspendatur ex animo cogitantis vel volentis. Verbum regens enim quod vocatur sive adest sive deest non eius nutu dicendi modus inclinatur sed humanae mentis rerum moderatricis omnium. Hoc autem quod dicimus rem ab animo pendere nihil aliud est atque rem non cogitari solum sed etiam ut cogitatam efferri. Omnibus verbis quoniam aut voluntas aut cogitatio enuncietur necesse sit oratio modalis non differt a recta oratione nisi eo quod certo signo declaramus cogitata enunciari tanquam cogi-

*) Missam nunc eam quaestionem facio quae de Coniunctivo et Optativo institui potest uter prior fuerit: suspicor equidem priorem fuisse Coniunctivum nec forte fortuna id factum esse arbitror sed ipsam naturam ita tulisse.

**) Bopp l. l. §§ 412. 284. Graser l. l. p. 391.

tata sive respondent rebus sive non respondent. Redit igitur id quod dixi sui conscientiam Modis communem esse et veram Modorum definitionem habere.

Iam vero, obliquis Modis repertis, fieri potuit ut vel priscum genus indicativum cum subiectiva dicendi ratione arcte copulatum antiquam simplicitatem exueret et ad ea referretur quae revera esse cogitantur: ut in formula illa *ὅ μήποτε γένοιτο οὐδ᾽ ἔσται* loquentis cogitatio (subiectiva) *γένοιτο* opposita verbo *ἔσται* ex hoc Indicativo simplicitatem et infantiam expellit et ad rerum veritatem (obiectivam) traducit.*) Rerum veritas omnino non cogitatur Indicativo nisi ita ut loquentes sua sensa sive Modis obliquis sive alia ratione (ut *δέδοικα μὴ ἔστι*) cum Indicativo conferant: quam collationem varie posse fieri nec non mente intelligi posse ex aliorum, quae dicuntur, verborum nexu, omnis sermonis naturae consentaneum esse arbitror. Denique certis quibusdam vocabulis ut *ὡς ἀληθῶς, τῷ ὄντι* al. Indicativo additis ex ipsius simplicitate maius illud emergit (veritas obiectiva) id quod maxime est philosophorum.**) Verum quoniam haec differentia omnibus quaecunque dicuntur subsit necesse est, ibi non effertur ubi nostra sensa cum Indicativo non conferuntur nec alia ratione (obiectiva) veritas rerum infertur, sed redit illa quam prisca aetas posteris reliquit inscientia dulcissima, differentiae illius inter rem et cogitationem obtinentis incuriosissima. Quod non solum non mirabimur sed laudabimus. Loquentes homines enim accurate praecipientibus philosophis similiores essent, si semper aut rerum efferrent veritatem aut cogitationem, nec mediam quandam haberent sui conscientiae quasi fugam.

Cum iam eo perventum sit ut quaeramus Coniunctivus graecus quid differat ab Optativo, eos qui huius disputationis principium et fundamentum a

---

*) Locus est Demosth. c. Mid. p. 581. cf. Lob. Phr. 723. cf. Soph. Antig. 1194 sq. *τί γάρ σε μαλθάσσοιμ᾽ ἄν, ὧν ἐς ὕστερον ψεῦσται φανούμεθ᾽.* Huc etiam talia referenda ut Eur. Ion. 771. Matth. = 758 *εἴπωμεν ἢ σιγῶμεν ἢ τί δράσομεν;*

**) Ex doctrina igitur eorum, qui rerum veritatem Indicativi propriam esse dicunt, tantum retinendum est, hunc Modum certis quibusdam verbis vel continuatione reliquorum verborum sic posse affici ut pertineat ad rerum veritatem. In tali re autem quemadmodum elaborandum sit nemo melius dixit Herlingo l. l. pag. 16: „*man hüte sich, die Bedeutung, die eine Form in Verbindung mit einer andern hat oder die ihr aus dem syntaktischen Gefüge zufliesst, als der einen oder der andern Form als an sich inwohnend zu betrachten.*“

formis Modorum repetendum esse censuerunt optima ratione usos esse arbitramur. Nam in omni argumentatione primum sit oportet quod extra controversiam quodque simplicissimum est et plane in medio positum. *)

---

*) De argumentationis principio igitur plane cum Kühnero Gr. §§ 449, 450. et Herlingo l. l. p. 17, 3 sentio Herlingi libellum magna cum alacritate ingenii scriptum sic amplector, ut excitare magis quam docere videatur. Quamquam eum optime docere dixeris qui ad veriora investiganda audientium animos impellit! Nam quod ipsi verum esse videtur Herlingo totoque libro probare studuit — certa quaedam Tempora si inclinentur, certos quosdam Modos fieri — id vereor ne minus recte docuerit. § 93. *„Die Unterabtheilung des ersten* (Coni.) *in den eigentlichen Coni. und Opt. ist keine modale, sondern eine temporale. Der sogenannte Opt. ist der Coni. semoten Tempora."* Nam quae hanc doctrinam consequuntur quaeque ipse Herlingus docet, ex historicis Tempp. inclinatis Optativos, ex praesentibus Coniunctivos natos esse, historicis Tempp. igitur nullos esse Modos nisi optativos, praesentibus nullos nisi coniunctivos, ea plane ferri nequeunt. Vir cl. enim hac doctrina usus non potuit, quin negaret, Futuri Optativum ad Indicativum Futuri pertinere pag. 43 l. l. Aperte autem, ut hoc exemplo utar, Thucyd. VIII, 50, *γνοὺς ὅτι ἔσοιτο καὶ ἐνδέξονται* ab obliqua solum oratione in rectam devenit neque vero duas non convenientes formas posuit. Omnino id quod summum est in Herlingi doctrina — singula Tempora suum quodque Modum obliquum habere — improbandum est. Nam non ad unius Temporis similitudinem conformatur Modus, nec, ut hoc ex Herlingi placitis delibem, Praesentis Opt. Imperfecti solum similes terminationes sed tales, quae in totum genus historicorum Temporum quadrent; nec in continuatione verborum Praesent. Opt. unum Imperfectum sed quodvis Tempus historicum recte sequitur. Propterea tantum Imperf. inter et Praesent. Opt. similitudo obtinet quod ambo eodem ex fonte, (ex aucto Praesente ut *ΤΥΠΤΩ*) ducuntur. Nam quatenus Praesent. Opt. Modus est ad omnia historica Tempora accedit. Verba indicativa non ad singulorum Tempp. similitudinem inclinantur sed ad generis aut historici aut praesentis: quod si tenuisset Herling. non negaturus fuisset praesentis generis Tempus si res ferret non solum ad suum (Coni.) sed etiam ad historicum genus (Opt.) recte accommodari potuisse, Optativum Futuri igitur ad Indicativum cognominem pertinere. — Attamen Herlingus multo meliore ratione uti videtur, quam ii, qui neglecta saepe formarum similitudine ante aliquam Modorum notionem mente informarunt secundum usum in lectione observatum, atque ex ea notione et definitione Modorum legem illam consecutionis explicare studuerunt. Hi viri enim etsi multa (praecipue Reisigius commentt. cr. ad Oed. Col. p. 168.) sapienter et utiliter disputarint, recta via tamen et ratione non videntur usi esse. Inverso potius argumentationis ordine formarum similitudo et Temporum Modorumque consecutio tanquam firmissima disputationis culmina ponenda indeque generalis Modorum vis elicienda fuit. Optime igitur Buttmannus in syntaxi (§ 139 Gramm. anni 1833) disputationi de Modis instituendae formarum similitudinem et consecutionis illam legem praemisit. (Quamquam postea minus respexit.)

Formas Coniunctivorum nemo nescit ad Temporum praesentium declinationem, Optativorum ad historicorum Temporum flexionem accommodari. Buttm. § 88, 4. Modorum consecutionem generali ea lege teneri inter omnes convenit, ut praegressa Tempora praesentia sequatur Coniunctivus, historica Optativus. Quae lex unde orta sit non videtur obscurum esse. Norma enim est omnis dictionis, ut partes orationis ad id quod summum est accommodentur ut Adiectivum Nominis formam sequitur. Congruentiae eiusmodi sensus et impulsio quaedam naturae Modorum et Temporum similitudinem invenisse putanda est.*) Nam id quod cogitamus cum nostri cogitantium animi pars sit, semper ad animum accommodabitur. Animus autem in rebus aut antea gestis aut praesentibus) versetur et occupetur necesse est: igitur aut ad praeteritorum Temporum aut ad praesentium similitudinem***) inclinantur ea quae tanquam cogitata enunciantur: obliquos Modos autem ad cogitata pertinere constat. — Ita fit ut res aliqua variis modis enunciari possit nec tamen non maneat eadem sed ratione tantum alia dicatur. Ut sententia: pater filium necat, ab hac: a patre**

*) Lichtenberg opp. I, p. 278: *„Je mehr man in einer Sprache durch Vernunft unterscheiden lernt, desto schwerer wird einem das Sprechen derselben. Im fertig sprechen ist viel instinctartiges; durch Vernunft lässt es sich nicht erreichen."* Cave ne hominem artem grammaticam non professum spernas.

**) Nam in futuris rebus ita quidem insistere nequeunt simplicium hominum animi ut quae ex futuris rebus pendeant propria forma h. e. tanquam secutura ea ex futuris enuncient. Nam id quod ex re futura nascetur et ipsum futurum est eodemque indicativo vel coniunctivo Modo effertur quo ea enunciantur, quae ex rebus praesentibus sive pendent sive sequuntur; ubi igitur de Modis consectariis quaeritur Futurum nihil differt a Praesente.

***) Certi Verbi Praeteritum aut Praesens praegressum non requiritur, ut ad alterutrum genus forma accommodetur. Omnia ad mentis conditionem redeunt, quae sive Verbo (quod „regens" dicitur) demonstrata sive non demonstrata semper ita adest, ut loquentes qui in alterutro genere versantur cogitata ad suum cogitantium statum accommodare possint. Si quis quaesiverit utro ex genere sententiarum ego putem Modos natos esse ex iis dixerim, quae Verbo regente carent et quasi ab ipso animo reguntur vel sic pendent a verbis prioribus ut non dilucide ea coniunctio expressa sit. Secundariarum enim quae proprie vocantur sententiarum usus quum eo rarior sit quo scriptor est antiquior quia affirmet tunc ita viguisse hoc genus ut Modos gigneret? Illa autem modalia enunciata quasi absoluta neque tamen vere absoluta quis non videt perquam similia esse viamque monstrasse secundariis? Cf. Graser l. l. p. 393.

filius necatur, non differt nisi dicendi modo. Historicus narrare potest, advenisse aliquem ut videret his verbis: *παρῆν ἵνα ἴδοι*, poeta dramaticus autem ipsum potest inducere loquentem: *Πάρειμι ἵνα ἴδω*, quam rem etsi aliter narrat aliter imitatur (*διήγησις* et *μίμησις*) eandem enunciasse dicendi sunt. Differunt autem duae illae sententiae non Coniunctivo solum et Optativo sed universa dicendi ratione, qua Praesentia cum Modis obliquis qui ad hoc genus spectant ab historicis Temporibus iisque qui his attributi sunt Modis obliquis distinguuntur. Differentiam igitur utriusque generis qui reperire studet, non obliquum separatim cum obliquo Modo contendere sed totum dicendi genus praesens cum historico comparare debet.

Si quis dicit *παρῆν ἵνα ἴδοιμι* mentem et animum in rebus praeteritis versari praeterito Tempore *παρῆν* et Modo secundum Praeterita formato certissime ostendit. Quaecunque igitur homo sic affectus cogitat a rebus praeteritis pendebunt inque eis quasi niti videbuntur. Praeteriti indicativi autem generis secundum comparationem cum praesentia factam aut non factam duas partes esse perspicuum est: alterâ eae res continentur quae antea factae dicuntur neque igitur cum praesentia conferuntur a loquentibus, quippe qui non simul et in ante acto et in praesenti tempore mente versari queunt; alterâ eae, quae sive fuerunt sive non fuerunt n u n c certe non esse cogitantur (i. e. solum cogitantur) ut praesentiae comparationem subesse eluceat. — Prior Optativi post Praeterita usus causam habet generalem quam dixi congruentiae legem. Nam quae antea facta sunt etsi memoriae recordatione tantum assequi atque cogitatione redintegrare possimus, tamen tantum abest ut tanquam cogitata efferantur,*) ut saepe scriptor totus se in vetustatem insinuet ita ut antea

*) Non assentior Reisigio l. l. nec Nitzschio ad Od. γ 78 = tom I, p. 149. Posterioris viri cl. verba adscribam, „*dagegen tritt die Wirkung einer vergangenen Handlung gewöhnlich m i t d i e s e r (?) in die blosse Vorstellung, gleichsam aus der Wirklichkeit in die Gedankenwelt zurück und daher steht nach dem Präteritum der Optativ.*" Res antea factae sane non possunt repeti nisi memoria et cogitatione: tamen non ut cogitatae a scriptore efferuntur sed antea factae dicuntur esse. Utrumque enim simul dici nequit. Homines Praeterito Indic. res antea gestas simpliciter narrantes cum ipsi non sentiant se in sua tantum cogitatione et recordatione versari sed hoc velint: anteacto tempore f a c t a esse ea quae narrent, cogitationem („*die blosse Vorstellung*") patet non esse in Praeterita inferendam. Ubi Plato ad historici morem Iliadis initium imitatus post historica Tempora (pro Praesentibus

gestas quasi nova vita vigentes perscribat nec solum praesenti Tempore utatur sed vel post Praeterita Modum ad Praesentium similitudinem fictum ponat. Qua in re multus est Thucydides ὁ ἱστορικώτατος, cuius ob oculos altera quasi effloruit praesentia.*) (Poppo ad I, 19 ed. novissim.) Ita Aoristus in historicum quasi Praesens**) abit. Legitimus autem hic usus est Praeteritorum, quibus Optativi naturali lege parent. Cogitatum vero quod Optativo enunciatur quamquam a rebus memoria solum repetitis i. e. solum cogitatis pendet non est cogitátio cogitata sed id quod anteacto tempore ab aliquo homine cogitatum est. — Venimus ad alterum usum. Praeterita indicativa ubi rem nunc non esse significant perspicue cum praesentia rerum contenduntur***) quod proprie usurpatis nihil est cum praesentibus Temporibus commune.****) Haud aliter de Optativi altero usu statuendum est. Si quis absolute exclamat: ἴδοιμι ad suam

Homeri) Optativos (pro Coniunctivis Homeri) usurpavit, res aperte non quasi sibi cogitatas sed solum antea factas narravit. Scriptoris verba autem non ad interpretis sed ad ipsius mentem interpretanda sunt. Neque apud Homerum heros Praesenti et Coniunctivo usus „cogitata ex re ducta“ (Reisig), apud Platonem „cogitata sola cogitatione contenta“ dixisse videri debet. — Hermanni et Thierschii rationes merito Nitzschius l. l. reiecit.

*) Quod in hoc scriptore sapientissimo peculiare est et dignum quod animadvertamus, id in simplicium hominum ingenia unice quadrat. Vides igitur quemadmodum fieri potuerit ut illi in uno Modo coniunctivo acquiescerent nec opus haberent Optativo, cuius vices partim Praeterita indic. partim Coniunctivi suscipere poterant. Cf. p. 15 n. *.

**) Est vero etiam ubi Aoristus in „Perfecti praesentis“ locum cedens Coniunctivum sequentem habeat: id quod ad Aoristo historico, qui imaginatione quadam scriptoris in Praesens mutatur, multum differre apparet. Illum usum optime explicuit Nitzschius ad Od. t. I, p. 33. cf. p. 149.

***) Particula ἄν huic Praeteritorum usui adesse solet, neque vero particula opus est ubi verborum nexus docet Praeterita ad praesentiam pertinere idque innuere quod nunc non sit. Herm. Vig. p. 847. Particula ἄν autem rem praeteritam ab aliis rebus suspendens negandi vim habet. Nam id quod semel factum est pendere nequit ab aliis rebus.

****) Imo prorsus contraria sunt Praesentibus et — si quidem vir cl. Boppius verum vidit — Praesentia per alpha privativum (i. e. augmentum) negata, Praeterita fiunt: qua coniectura fateor me mirifice delectari. Quid? si eos audimus qui ipsam particulam ἄν negationem esse volunt, praeterito innata negatio Praesentis iteratur adposita particula et ἦν ἄν iam idem fit quod antiquissimo tempore solum fuit Praeteritum i. e. Praesens negatum. Sed non ignoramus haec quo iucundiora eo magis dubia esse.

conditionem i. e. ad praesentiam refert Modum praeteritis Temporibus accommodatum, eadem fiat conflictio necesse est, quam antea indicativo Praeterito cum praesentia collato effici idque agere dixi ut res non esse sed pio voto solum optari et cogitari significetur. Hanc conflictionem vel magis senties cum plenius: εὔχομαι· ἴδοιμι! locutum eum esse finxeris. Qua de re optime Reisigius in commentt. critt. p. 168 „καθίζομαι ἵνα πυθοίμην per Optativum nec dici nec intelligi ullo modo potest nisi de eo qui consilium suum iam irritum esse senserit aut id non suum sed aliorum esse. Sapienter sane pugnam illam et altercationem quae inter Modum ad Praeteritorum similitudinem conformatum et Praesens est verbis exscriptis declaravit. Nam quod homines sic loquentes consilia *non sua* (sive irrita sive aliena) enunciare dixit vir cl., ea ut cogitata, quae in praesentem rerum statum non quadrent, efferre illos dixisse putandus est. Illa enim consilia si rerum sive praesentium sive praeteritarum veritati convenirent inepte *solum cogitata* esse dicerentur. Definitio igitur, quae generalis esse visa est Reisigio: Optativo dici cogitatum aliquid [*] non ex re ductum sed *sola cogitatione contentum* non totum genus sed partem tantum complectitur, qua Optativi cum Praesentibus collati continentur. Hinc modeste et urbane ii loqui videntur qui quae dicant ex sua quadam opinione et coniectura dixisse volunt per Optativum: quam Atticorum consuetudinem propter cogitationis haesitabundae subtilitatem**) et modestiam laudaverim, verum vituperarim eandem propter timidam quandam, quae inest, tergiversationem a virili Romanorum et Germanorum ingenio alienam.

Iam accedimus ad Tempora praesentia Modosque qui ad hoc dicendi genus pertinent. Ubi dicis πάρειμι ἵνα ἴδω vel parataxi βούλει λάβωμαι Tempore prae-

*) Omitto Reisigii „fieri posse" hoc loco interpositum, quod non probo.

**) Quod viris doctis quibusdam visum est, talia iudicia „ab obiecto" solum peti posse, id iam antea dixi mihi non probari v. pag. 19 not. *. Qui loquor vel scribo ego haud sane minus sum praesens sentioque me esse praesentem; si igitur ex mea quae nunc est timentis affectione animi illam Ulixis ab hostibus paene oppressi vocem meam facio: ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω! Λ. 404. profecto hoc dictum non ab iis solum quibus premor (obiecto) sed vel maxime ex meo ipsius animo vexatissimo deprompsisse videbor. Pertinet quidem illud dictum ad res quasdam externas quibus ne affligar timeo. Scilicet, si non pertineret, non questurus fuissem!

senti *πάρειμι, βούλει* Modisque cognatis usus clare ostendis animum in praesentia rerum totum versari, vel rectius, ex praesenti tempore in quo omnes semper esse et vivere natura iubet, *non digressum* esse, nec quidquam te moliri nisi quod pendeat a praesentibus rebus, Modo Praesentibus simili palam facis. Nec si quis nudo Modo utitur ut hortativo *„μνήσωμεθα!“* nunquam fieri potest ut hanc vocem ex loquentis animo sic affecto putemus profectam esse ut alio in tempore versetur atque naturali illo (Praesente), ad quod spectat Coniunctivus. Hac de causa quod Optativi esse posse diximus id in Coniunctivum non cadit: illum Modum (optativum) cum Praesente aut palam aut clam collatum rem, quae non sit sed cogitetur solum, significare. Homines enim qui non aperte ex statu naturali i. e. ex praesentia rerum se mente egressos esse declarant, eos occupari in ipsis rebus praesentibus ultro sane intelligimus. Qui rem Coniunctivo eloquitur ita cogitatam demonstrat ut a rebus, quas nunc esse sensibus et mente persentiscimus, orta cogitatio in eadem praesentia rerum insistat quodam modo et innitatur. *) Qua in re tenendum est non posse quidquam certius veriusve dici quam quod praesens esse dicatur. Praesentia enim homines simplici quodam modo saepissime imitari solent ea, quibus proprias formas non peperit lingua: veritatem, necessitatem, ut in locis communibus. Quaecunque igitur Coniunctivo enunciantur ea in firmissimo et solidissimo tanquam fundamento rerum praesentium posita et propter id ipsum mera opinione certiora esse videantur necesse est. Ea igitur quae ad certiorem eventum spectant Coniunctivo attributa sunt omnia (exspectatio, hortatio, sumtio). Cogitatio autem, quam effert Coniunctivus, ad quas res spectet interroganti alicui, ad futuras spectare respondendum est. **) Nihil enim est quod pendeat a praesenti rerum statu nisi futurum. Quamvis iam *easdem res* et Modo coniunctivo et Tempore futuro significari pateat, hac tamen ratione profecto non continuo videbimur probasse: Modum et Tempus illud quondam una forma fuisse coniuncta. Eaedem res enim diversis modis dici poterant. Iam igitur videndum num illorum hominum priscae simplicitati conveniat, modalem rationem a temporali quam dixi discreuere. Nam qui sermonis origines a prima aetate repetere probabilique

*) Nam, ut particula *ἄν* ad res externas pertineat, quid est subtilius quam rem simul ad res a quibus pendet (*ἄν*) et ad cogitationem (Modo) referre?

**) Silv. de Sacy Gram. Arabe T. II, p. 19 éd. I.

coniectura informare studet, ipsa illorum hominum mente debet quodam modo repraesentare ingenia infantia, quibus convenientem sermonem tribuat.

Simplicissimos homines*) tales fuisse arbitramur, qui paratis laete fruerentur et rerum praesentia tanquam magico circulo cingi et fascinari viderentur.**) Cum sapientiores sensim fierent et quid futurum esset non solum quaererent sed etiam peculiari forma enunciarent,***) tamen futuras res non absolutas ab iis quae in medio erant positae mente assequi poterant sed ex praesenti rerum statu quae videbant consecutura esse sperabant vel timebant. Ita factum est ut ea curarent quae *proxima* futura essent, non curarent quae multo temporis spatio demum interiecto eventura a nemine cogitantur nisi qui animum a praesentibus studiis revocare didicerit. Talibusne hominibus et Coniunctivum fuisse et Futurum dicamus? Cum mentis aciem unice in res praesentes intenderent nec futuras curarent nisi eas quae ex praesentibus colligerentur h. e. proximas, non potuerunt quin Futurum etiam Coniunctivi loco haberent: *pendet* enim manifesto a rebus quae nunc sunt id quod *proximo* tempore instat. Rursus qui suae utilitati addicti erant rem a rerum praesentia pendentem (Coni.) dicebant nullam nisi quam eventuram esse postea persuasum habebant. („Possibilitatis" enim vana opinione plenae osores erant.) Coniunctivus igitur illis perspicue Futuri

---

*) Cum **homines** dicam vides me non plane brutos et stupidas sed iam cum aliqua (qua nil humanius est) facultate loquendi praeditos divinatione assequi velle.

**) Schmidt doctrin. temporum part I, p. 3 not. * et p. 4 sq.

***) Nam qui quid futurum sit non curat nec habet quidquam quod exspectet speret timeat etsi vereor ne homo vocari nequeat, tamen ex aliqua rerum futurarum cura non statim certa Verbi forma (Tempus futur. indic.) nascitur. Simplicissimi homines enim adeo non desiderabant perspicuam et explicatam philosophorum orationem ut quod futurum esset saepe praesenti Tempore enunciarent: si quidem vates qui res futuras Praesenti praedicunt non peculiari quodam dicendi genere sibi invento utuntur sed ad simplicium populorum ingenia vel maxime accedunt; simplex autem oratio magnam saepe gravitatem habet. Sic non Pythia solum locuta est Herod. VII, 140. Matth. § 564, 7, sed etiam nostra hariola gente Dithmarsa Praesentibus — nisi memoria me fallit — vaticinatur. Omnino vix quicquam est quod non **possit** Praesente dici. Memorabile foret si probari possit pueros puellasque quo minores sint natu eo magis non Modis inclinatis solum (quod certum esse videtur) sed etiam Futuris abstinere. Perfectum pro Futuro usurpantem puellam nuper audivi. In nostra lingua mirum est quam sero propria futuri temporis significatio nata sit v. Reimnitz l. l. p. 59.

loco erat. Itaque priscis hominibus non duae concedi queunt formae se una tantum, qua et quae penderent a rebus praesentibus (Modo ad Praesentium similitudinem inclinato s. coniunctivo) et quae futura essent (Tempore futuro) eloquerentur.

Illud igitur quod ex *formis* in primo Capite domonstravimus: fuisse quondam Futurum modale s. coniunctivum, nunc singulari antiquorum hominum simplicitate valde videtur confirmatum esse. — Qua in re si quis dixerit incredibile sibi portentum esse videri coniunctivum quoddam Futurum, quo Modus rectus (indicativ.) cum obliquo (coniunctivo) perperam misceatur, meminerit velim omnium rerum tenues et perquam obscuras esse origines neque rerum gestarum solum optimam magistram esse historiam sed etiam linguarum; meminerit etiam Doriensium Futura (ex tabb. Heracl. v. Koen Greg. Cor. p. 278) quae pro ει obtusam vocalem habent Coniunctivi propriam ut ΘΙΚΟΔΟΜΗΣΗΤΑΙ et in vetando post μή (hoc est: pro Coniunctivo) usurpantur. Saepe enim fieri solet ut obsoletae formae, quae ex communi usu evanuerunt, in dialectis per quandam consuetudinem peculiarem serventur. — Neve contraria reprehensione usus coniunctivum dixeris Futurum non solum in antiquissimorum sed omnium semper Graecorum in usu fuisse: nisi forte formae, quae manifesto indicativae sunt $\bar{\omega}$ $\overline{\varepsilon\iota\varsigma}$ ct. ad Modum obliquum referre, homines graecos vero doctiores indies esse sensim factos negare licet.*)

Unius formae illius quam coniectura informavimus magnam ortam esse secundum animi affectiones fluctuationem eamque postea lege sanctam et certa norma constitutam esse consentaneum est. Cum homines suam voluntatem cogitationem coniecturam e rebus praesentibus factam Verbis declarabant, moram quandam formae inferebant notamque suae cogitationis, vocalem productam, Verbo imprimebant. Haec mora deliberativa cum certa lege teneri coepta est

---

*) Quod dico propter Bernhardyum in Syntaxi p. 377 his de Futuro verbis usum: *„Das griechische Futurum ist nicht viel mehr als ein* ***bedingtes Präsens****, die Darstellung des in der Gegenwart unvollendeten, das dereinst unter einer Bedingung (?) gedacht sich verwirklicht, worin der eigentliche Gehalt dieses Tempus besteht:* ***es geschieht, wenn es möglich ist.“*** Nemo haec probabit qui libera mente graecos loquentes audit: ut certius et ab omni „conditione“ remotius quid est Tiresiae oraculo in Soph. Antig. 1064?

natus est Modus coniunctivus.*) Contra si futura res adeo certa esse videbatur ut minime opus esset dicere *certo sciri* hoc et hoc futurum esse, illam suae scientiae notam non addebant sed ea indicabant forma qua res praesentes esse cerni audiri dicebant i. e. Indicativo. Nam cum nos scire (cogitare) aliquid affirmamus, rei minus certi esse videmur quam cum rem simpliciter indicamus. Quid enim? Inscientia persuasionem nullis rationibus firmatam et propter id ipsum firmiorem adsciscit, sed dubitationem cogitatio;**) Indicativi propria autem est inscientia illa dulcissima,***) qua inscii cogitamu-. Altera igitur coniunctivi Futuri pars facta est indicativa i. e. Tempus futurum indicativum natum est.

Quae nunc inter Coniunctivos et Futura saepe obtinet permagna discrepantia non vereor ne moveat quemquam ut prisco aevo unam utrique rei formam fuisse neget. Nam et verbis sua fata sunt. Futuro et Coni. ab antiquis Praesentibus ut βάλω iam diu formato nova auctae formae Praesentia succreverunt, abs quibus novos Coniunctivos (βάλλω, ῃς), qui nunquam in Futura abirent, fictos esse novimus; quae res docet eo quo nova Praesentia cum suis Modis nati sunt tempore homines iam intellexisse Tempus futurum a Modo quid differret vel potius: munus futuras res significandi iam antiquioribus (Aoristorum) Coniunctivis evenisse, ut recentiores excluderentur. — Nec non perspicuitas orationis fecit, ut antiquarum formarum (Coniunctivorum et Futurorum inter se similium) locum aliae occuparent quae apertius differentiam Modi et Temporis ferrent. Huc medialis formae Futura pertinent ut verbi πίπτω.

*) Eadem de causa Modi obliqui formas indicativis longiores (ἐθέλῃσθα, κλαίοισθα) servarunt: de quibus cf. Buttm. t. 1, § 78 A. 2, § 88 A. 3. Indicativi Perfectorum contra terminationem ᾱσι (αντι) contrahi in ᾰσι constat. ibid. § 87 A. 4 c. not *. Ἵστημι Coni. ἱστῶ similiaque verba quae breviorem Indicativo Coniunctivum habent non contra faciunt: nam Modos idonea de causa (ne nulli essent!) breviores factos esse idem sapienter explicuit § 107, 3. Quae cum ita sint, commentum illud Naegelsbachii (Excurs. ad Iliad. IX, 4) qui formas longas μέγῃσιν παμφαίνῃσιν indicativas esse opinatus est, ut multis aliis nominibus ita vel ipsa vocum conformatione parum commendari elucet.

**) „*Er wird sterben*" certius quam „*er wird gewiss sterben*" s. „*er stirbt gewiss*" (*gewiss* ductum a *wissen*). „Hoc sentis" certius quam „scio quid sentias" vel „hoc senties" quam „scio quid sensurus sis."

***) Vernacule dixerim: *Unschuld des Bewusstseyns* s. *Unbewusstsein.*

In nostra igitur (quae proposita est: *de modali usu Futurorum a Sophocle usurpatorum*) quaestione hoc summum est, ut de eis locutionibus atticis disputetur, quae explicari nequeunt nisi ad Futurum modale s. coniunctivum relatae, et quaeratur num aliquae sint prisci usus reliquiae. Huic disputationi altera praecedat necesse est eiusmodi quae in eas locutiones quae speciem quandam Modi habent inquirat videatque ne genuinus Indicativi usus cum Modo misceatur.

Adnotatio 1, Parti I addita.

Herlingus l. l. p. 43 haec scribit „*der Conjunctiv zu γράψω ist gleich dem Conjunctiv des Aorists und fehlt nur ungefügig in den Paradigmen; hat er denn nicht eben so oft die Bedeutung einer Zukunft? vgl.* Kühner § 445, 2 [= 447, 2?] ibidem pag. 166 ait: [*Es*] *fehlt der lat. und der roman. Sprache ein präsentes Futur des Conjunctivs: bei den Griechen könnte man im Activ und Medium der meisten Verben den ersten Aorist des Conjunctivs dahin rechnen.*" Primum de paradigmate nemo concedet quo origines et per se obscurae et saepe postea usu obliteratae pueris Verbi formas discentibus minime obtrudendae sunt. Tum ex comparatione linguarum facile sequi videri possit contrarium iis quae Herlingus p. 166 de lingua graeca narravit, hoc dico: non esse ullum Coniunctivi Futurum. Deinde ipsa ratio contra istam doctrinam facere videtur. Aoristi Coniunctivum quem dixit ad futuras quoque res pertinere quis nescit? Verum etiam Praesentis et omnino omnes Coniunctivi res futuras spectant sed ita ut non tam futurae esse dicantur quam ex statu qui nunc est rerum coniecturam facientibus hominibus consequi videantur. Formae significatio igitur si consideranda est nec vero forma, eodem profecto iure quo Aoristi, Praesentis etiam Coniunctivum Herlingus ad Futurum referre potuit. Imo ad Praesentia prisca non solum multa Futura referenda sunt sed etiam Coniunctivi. Lobeck l. l. p. 435. Eadem res autem aut futura esse dicitur aut a praesentibus rebus pendere: verum utrumque eadem voce efferri minime posse sed alterutro elato alterum mente intelligendum esse, manifestum est. Neque viro cl. Madvigio (*Bemerkungen über verschiedene Punkte der latein. Sprachlehre, Braunschweig* 1843) Futuri Coniunctivum[*]) largiri licet. Qui quamvis Verbi latini historiam praeclare perspexerit et Coniunctivos Perfectorum non a Perfectis sed a Futuro exacto (si proximam originem quaeris!) ductos esse docuerit, non poterit tamen illi Modo alias res attribuere atque eas quae Perfecti Coniunctivo enunciantur. Multo etiam minus sua placita in grammaticam discentibus scriptam inferre debuit p. 108. 109. Hoc potius dicendum erat: Con-

---

[*]) Vide mihi Lobeckium strenue soloecos Futuror. Conii. persequentem, Phr. Parergorum cap. V. — Madvigii errorem conferri licet cum simili eoque vel praviore commento grammaticorum veterum, quos Latinum Fut. exact. pro Coniunctivo habuisse et *Futurum subiunctivum* nominasse docet Schmidt doctrin. temp. Partic. I, p. 22. cf. 29. cf. G. Herm. dissert. de Madvigii interpretatione quar. form. p. 9.

unctivum latinum (Praesentis et Perfecti) res quae a praesentibus rebus pendere cogitentur significare, nihil autem pendere a praesentia nisi quod aliquando futurum sit, tantum non enunciari tanquam futurum sed esse iudicium praesentis hominis: eaque de causa factum esse ut Romanorum Coniunctivi [legam legas; legerim legeris] perquam similes fierent Futurorum [legam, leges; legero, legeris]. Nam quae de Futuro exacto docuit Madvigius aperte ad alterum quoque Futurum spectant. Omnem autem, quam exposui doctrinam de coniunctione Futuri et Coniunctivi quis non videt comparatione Latinae linguae valde confirmari? Etsi in sanscritica eandem rem deprehendere mihi videar, satius duco tacere, ne Sanscritice balbutiam.

Adnotatio 2, Parti I addita.

Qui Aoristi Coniunctivum ex praeterito Tempore (Aoristo) natum esse et propter hanc originem Futuri exacti propriam habere notionem arbitrati sunt grammatici, doctrinam suam neque approbasse videntur nec si quid video potuerunt idonea ratione demonstrare. Neque enim explicuerunt, qui tandem factum sit, ut Aoristi Coniunctivi non semper vel potissimum vim Futuri exacti illis *propriam* visam servarent, imo raro sic usurparentur (quod iure dixit Bernhardy Synt. p. 403). Quid? Futurum simplex, quod eandem quam Coni. Aor. formam quondam habuisse docuimus, ex illorum doctrina pro exacto Futuro habendum foret. Nam quae Futura Modive ex Praeteritis nata sunt ut Futura tertia, ea originem referre solent. Aoristus igitur ut prior Coniunctivo et Futuro in unam formam coactis exstitisse, Futurumve coniunctivum ex Aoristo natum esse putetur, Aoristive Coni. pro inclinato Aoristo habeatur, nullam video causam proferri quae idonea vocari possit. Verum vidit Madvigius (*Bemerkungen* cet. pag. 76) „*der Aorist in Conjunctiv, Optativ u. s. w. geht gar nicht aus dem Präteritum, dem er in diesen Modis nicht angehört ins Präsens über.*" cf. not. ibidem. Aoristus potius ex radice, abs qua Futurum coniunctivum propagatum est, et ipse natus esse videri debet. Nescio an huc faciant formae *θήσω* et *ἔθηκα* abs quo Aoristo Modi non ducuntur.

Grammatici autem Futuri significationem, quam recte quibusdam in locutionibus *interpretamur*, pro vi propria formae verbalis habuisse videntur. Matthiae Gr. § 501 pag. 1133 „*der Conj. mit Zeitpartikeln ὅταν ἐπειδὰν auch ἐὰν entspricht dem lateinischen* Futuro exacto, *doch bleibt immer der Hauptbegriff einer vollständigen geschlossenen Handlung.*" At non manet praeteriti Temporis notio propria sed *particulae* faciunt ut Andromachae verba a Matthiaeo citata: *οὐ γάρ ἔτ' ἔσται θαλπωρὴ ἐπεὶ ἂν σύ γε πότμον ἐπίσπῃς* Z 412 latine recto vertantur hoc modo: „nihil solatii mihi erit simulatque Orcus te care coniux abripuerit." Verum Praesens sufficit. Schillerus enim in carmine suavissimo Homeri verba sic expressit: „*wer wird künftig deinen Kleinen lehren, wenn der finstre Orcus dich verschlingt?*" Imo vel Praesentis Coni. illis particulis sic afficitur ut Futuro exacto similis fiat. Plat. Protag. 335 B. *ἐπειδὰν σὺ βούλῃ διαλέγεσθαι – – τότε σοι διαλέξομαι* i. e. quando volueris. Nec non Futurum simplex: Soph. El. 462 *εἰ τάδ' ἡ τεκοῦσα πεύσεται πικρὰν δοκῶ με πεῖραν τήνδε τολμήσειν ἔτι* i. e. si cognoverit genetrix. cf. ibid. 422. Futurum post *ἐπεὶ* apud Mimnermum fr. 3 [4] Bergk. quod cur Ellendt Lex. Soph. I p. 616 Coniunctivum (contractum) esse

dicat, causam non video. — Kühnerus etsi subtiliter de hac re disputat tamen eodem in errore versatur *„der Aorist drückt nämlich das Vollendete und der Conj. das Zukünftige aus* cet." § 447 A 2. Bernhardyi autem exemplum ex Plat. Soph. 235 C. allatum alienum est, Thierschii § 291, 4, c, qui homericis locis utitur, ratio interpretandi perquam contorta et plane mira.

Haec igitur nunc hactenus. Ego vero editor, qui mihi in hoc indicendae sollemnitatis officium socium assumsi alumnum disciplinae nostrae egregie spectatum, haud vereor, ne inauspicato fecisse videor. Magna autem me spes tenet, lectores aequos hoc iuvenilium studiorum specimen etiam publica luce satis dignum esse habituros. Quodsi de legati Schassiani consilio quaestiones philologae proponuntur non quo literae inventis augeantur, sed ut ipsi qui susceperint iuvenes in pulcros studiorum cursus invitentur, tamen horum sollertissimus quisque ultro proficit eo, ut etiam quod pluribus prosit conficiat. Atque huius quidem dissertationis scriptor, etiamsi modorum quaestionem, ut non omnem complectitur, ita ne composuerit quidem plane, certe merito veniet in numerum eorum, qui nuper plures intellecto errore doctrinae, quae modos ad categorias veritatis, possibilitatis, necessitatis retulisse satis habebat, certatim sed sua quisque via ad veriora perrexerunt. Unusquisque eorum ex rationibus, quibus modorum intelligentia conficitur, unam recte perspexit, omnes nemo dum complexus est, quod sciam. Dico autem haec memor Scheuerleinii Halensis, Naegelsbachii et Graseri, ad cuius doctrinam Momseni mei disputatio proxime accessit.

Verum hoc agamus. Ad audiendam orationem sollemnem, eamque germanicam, quae in gratulationis publicae communionem d. XVIII. m. Septembris hora XII. in auditorio maiore a Ludovico Pelt, S. theol. Dr. et P. P. O. habebitur, Celsissimum Ducem, Curatorem Illustrissimum, regios et urbicos Magistratus Amplissimos, cives academiae humanissimos, omnium denique ordinum incolas et accolas huius urbis ea qua decet observantia invitamus.